



59

D. O. M. A.
DISPUTATIO VII.
Centuriæ Quintæ
QUÆSTIONUM
ILLUSTRIUM
Philosophicarum,
*In Inchyta VVittebergensi Academiâ
Publicâ*
Proposita
P R Æ S I D E
M. Jacobo Martini
Logices Profefs. Publ.
R E S P O N D E N T E
Andrea Gözio,
VVitebergensi
*Ad diem 25. Iunij in auditorio Collegij
veteris.*

W I T E B E R G Æ,
*Typis Martini Henckelij, Impensis Pauli
Helovigti Anno M. D C. V I I I.*





Q U Æ S T I O I
An differat inventio Dialectica à
Rhetorica?

HX † falsis falsa deducere mirum non est, inquit Scal. ex. 274. Nam εὐδὸς ἀτὸν δὲ ἄνθρωπος τὰ δὲ οὐκ ἔστιν ἄνθρωπος. Aristot. 1. Phys. t. 10. Quod ipsum cum in alijs pluribus, non minori tamen absurditate laborantibus, tum in hac presente ἐξέτασις haut immerito in Ramum usurpare possumus; Nec, ut id probetur, deest ratio: Cum, quicumq; inventioni Logicae alienum suum assignat, absurditatis falsitatisq; vitium & poenam incurrat. Iam autem cum de Ramo affirmetur prius, posterius non negabitur de eodem. Idq; jure merito, quia sua absurditate eductus, ut jam ipsam Rhetoricam Inventionem à Logica nequeat discernere, sed obstrepet cum suis complicibus, ineptiarum scriptoribus, Inventioni absq; ἐτερογενείας & πικρολογίας crimine in Rhetorica, à sacrosancta Iustitiae lege, (utpote quae omnia Artis praecepta vult esse homogenea, propria, & tanquam ejusdem corporis membra, quaeq; ut Iustus rex suum cuiq; tribuit) nullum locum concessum esse; Quandoquidem Invenire sit proprium Dialectices. E. non Rhetorices. Nihil enim est proprium diversis subjectis. Sed quam ingentem hisce Ramus committat petitionem principij, omnibus manifestum esse potest.

Verum † cum impraesentiarum nobis, veritatem ducem sequentibus, non sit propositum, in quaestionem illud vocare, An Inventio soli Logico Ramistarum agros sit inferenda, vel tantum in Ramisticis rationis montibus enascatur, in quo quidem obtinendo, quamvis omnem etiam lapidem moveant; Illorum tamen rationum & auctoritatum arietes vix veritatis, quae nostrae Philosophiae anima est, secundum Scal. ex. 3. muros preutere sufficient; Sed hoc duntaxat quaeramus, Quomodo differat Inventio Dialectica à Rhetorica inventione?

Ubi † dicimus, quod differant I. FINE: Dialectica siquidem inventionis finis, extra omnem ferè controversiam aleam nunc positus, à plerisq; 3

A 2

etiam

etiam jam tum comprobatus, est probabiliter differere; Rhetorica uero ad bene agendum persuadere. Rhetorica enim cum sit Instrumentalis disciplina, necesse erit, alius ut sit instrumentum: Iam a. nemo, nisi plane hospes in Philosophia Peripatetica, Rhetoricam Speculativam instrumentum esse dicit, utpote, inter cujus epulas nulla apponitur persuasio, sed dulcissima duntaxat cognitio: Nec Ethices instrumentum Rhetorica erit, in qua, dum circa teipsum instruendam, tuosque proprios affectus corrigendos occupatus es, nulla prorsus indiges persuasione. Relinquitur ergo, Politicus & c. vilis actionis eam esse instrumentum; Proinde cum Politici finis non sit verborum ornatus, sed civem ad bene agendum adducere, jure etiam hunc finem sibi vendicabit Rhetorica.

4. II. MODO † INVENIENDI 1. n. Rhetorica non syllogismum adhibet, sed Enthymemata & exempla, quae tanta etiam imperfectionis sunt, ut ex parte cum regulis Logicis pugnent. 2. Dialectica utitur medijs ad conclusionem directe facientibus; Rhetorica econtra aliena saepe usurpat: Nam Topicus cum spectet tantum veritatem, non nisi vera adhibere cogitur argumenta, alias degenerabit in sophistam; Rhetori vero non tam veris, quam fictis licet uti argumentis ad persuadendum, quia non tam spectat quibus medijs, sed quid persuadeat.

Q U A E S T I O II.

Quomodo praecipua Aristotelica de εὐλογία syllogismorum Dialecticorum sint ad usum transferenda?

- I. Aristoteles † quatuor huic usui interventia subministrat instrumenta .I. Instrumentum est ἐκλέγειν τὰς ἀποδείξεις: Hujus duo extant praecipua: priori quidem docet ejusmodi propositiones esse sumendas, quae 1. probabiles sunt: 2. quae contrariae probabilibus: 3. quae sunt similes probabilibus. Posteriori vero monet, sumendas esse universales propositiones, maxime, ex quibus plures colligendae sint conclusiones 8. top. c. ult. II. Instrumentum est διαλεῖν ἀσφαχῶς ἕκαστον λέγειν. Hujus praecipua cum prolixè ea satis & luculenter ipse persequatur Aristoteles 1. top. 13. hoc loco sicco pede pertransientes, usum duntaxat monstrabimus, qui triplex est. 1. enim facit ad perspicuitatem, 2. ut respondens & opponens eodem animi sensu referant eadem, 3. ut vitentur ἀγαλλογισμοί.
- III. Instru-

III. Instrumentum est οὐκ ἔστι τῶν διαφορῶν, quarum splendor in ijs, quae sibi maximè sunt similia, potissimum elucet, in reliquis verò, utpote toto ferè genere diversis, admodum obscuratur. Usus tenet duplicem. 1. conducit ad syllogismos τῶν ἐπι τὰ ἄλλα ἔστι. 2. ad definitionem, quae ex propria cuiusq; differentia constare debet. IV. Instrumentum est οὐκ ἔστι τῶν οὐκ ἔστι, quae rebus ejusdem generis maximè gaudet, in ijsq; facilis est; diuersorum v. generum res valde abominatur, unde & circa eas laboriosissima. Vilitatem ministrat triplicem. 1. ad Inductionem. 2. accidit ut aliquando conclusio ita vel sit universalis, vel ardua, ut medium, quo probari directè possit, difficulter reperias, adeoq; si cum aduersario agendum, ipse velit, si similem probaueris, hanc ipsam te probasse existimare. 3. ad definitionem, quae ut non sine genere, ita nec sine rerum convenientium cognitione construi potest Arist. I. top. 14.

Sufficiat † quàm brevissimè hæc enumerasse: Ad usum ut nos accingamus, restat, cum ea præsertim instrumenti natura sit, ut usu & sine ejus sublato, ipsum tandem instrumentum quoq; tollatur. Ne ergo in vanum abeat nostra præceptorum commemoratio, tale proponimus exemplum, in quo dictorum instrumentorum & præceptorum usus perspici possit: An voluptas sit summum bonum.

Primum † autem ante omnia, ex secundo instrumento, vocis ambiguitas 3 est distinguenda. Unde relictis aliis significationibus omnibus, illam seligimus, qua in corporis & animæ voluptatem dispescitur. Deinde possunt probas quæstione duplices adhiberi loci: 1. pro quæstione accidentis. 2. pro quæstione generis. Quoad priorem, demonstratum dabimus, nullam ex hisce acceptionibus de summo bono dici posse. Pro quo obtinendo quarimus respondētē.

I. An † concedat: Cui negatur definitio, eidem & definitum: Ex hoc enim generali loco possumus, vi primi instrumenti, tria formare argumenta. I. cui negatur definitio, ei & definitum. Sed voluptati negatur definitio summi boni. E. 2. Cui negatur essentia, ei & res ipsa. Sed voluptati negatur essentia summi boni. E. & ipsum summum bonum. 3. Cui non potest attribui definitio, ei nec definitum. Sed voluptati non potest attribui definitio summi boni. E.

II. Quarimus † respondentem, an concedat, quæ in uno tertio conveniunt, inter se quoq; convenire. Unde colligimus ita: 1. Quæ inter se conveniunt, in quodam tertio conveniunt. Sed voluptas & summum bonum in quodam tertio non conveniunt. E. 2. Quæ in uno tertio differunt, inter se non conveniunt. Sed voluptas & summum bonum differunt in uno tertio. E. 3. Sicut homines, qui ingenijs & animis inter se differunt, non conveniunt; Ita voluptas & summum bonum differentijs essentialibus differunt.

III. Qua-

- 6 III. Querimus † An, quod uni conjugatorū insit, alteri quoq; conveniat, & sic, quia voluptuosus non est dicendus beatus nec voluptas erit summū bonū.
- 7 IV. Progredimur † à contrario: Si enim voluptas secundum nonnullos humanam naturam perficit, secundum alios illā destruit potius & corrumpit, eidem rei duo inerunt contraria.
- 8 Quo ad † questionem generis probandū restat illud, quod voluptas nullo modo genus summi boni statui possit. Proinde querimus I. respondentem, an concedat, genus remotum in definitione non ponendum esse. Sic ergo concludimus: 1. nullum genus remotum in definitione est ponendum; Voluptas est genus remotum. E. 2. à simili: Quemadmodum Demonstratori non licet causam assignare remotam: Ita nec definiendi licebit voluptatem, ut genus, tribuere summo bono. 3. à contrarijs. In omni definitione proximum genus ponendum est. Hoc non est proximum. E.
- 9 II. Petimus † ab adversario, an non rectē dicamus, voluptatem esse summum bonum: Nam si non rectē sic dicimus, neq; voluptas erit genus summi boni, cum non prædicetur in quid.
- 10 III Ope † secundi Instrumenti discescimus voluptatem in eam, quæ est corporis, & illam, quæ animæ est, & querimus, an adversarius eam, quæ est in corpore, loco generis positam velit: Et si sic sumere eam velit, voluptas cum pessimis etiam vitijs stare potest, ac proinde pro vero genere minime haberi; Sin verò eam, quæ animi est, intellectam velit, regerimus 1. quod nulla rei affectio sit de essentia rei. Voluptas v. animi est affectio summi boni. E. 2. Signum rei non sit ipsa res: alias enim idem essent adjunctum & subjectum. At voluptas est perfecta operationis subsequens signum. E.

QUÆSTIO III.

Num idem contrariorum causa esse possit?

- 1 Animum † nostrum in hac quæstione dubium & ancipitem ipsius Philosophi, aliquam contradictionis apparentiam præ se ferentia, loca, variaque rerum in natura existentium exempla reddiderunt, de quibus, ut certi quid noster statuere possit animus, pauca duntaxat pro utraq; quæstionis parte facientia argumenta in medium adducemus, in medium adducta examinabimus.

Ante-

Antequam † autem idipsum aggrediamur, singula causarum genera prius perlustrabimus, & qua ratione illa contrariorum causa esse vel non esse possint, paucis contemplantur. Ac I. quidem de Materia & Fine, non dubium est, quin Idem secundum Idem possit contrariorum causa esse: Materia siquidem considerata secundum suam essentiam & generalem potentiam, propensionemque ad formas; Finis vero secundum suum esse reale conceptum.

In † reliquis vero causis summa haret difficultas, quæ non nisi distinctione tolli poterit. Quis enim de forma, quatenus forma est, hoc est, quatenus per se ipsam dat esse, hoc affirmaret? Nunquam sanè una & eadem forma potest contrariorum causa esse, etiam consecutiue; non enim albedo dat esse nigri, nec nigredo albi; Neque ex forma eadem profluunt in eodem subiecto contrariæ affectiones; Imò hac ratione contraria non solum non se mutuo expellerent, sed etiam naturaliter connexa essent. Superest Efficientis consideratio, quippe quæ non leuem peperit dubitationem ingenii etiam optimè exercitatis: Quam circa talem ponemus conclusionem: Idem Efficiens secundum idem efficiendi principium, & supposito etiam eodem fine proximo, in efficientibus liberis, contrariorum causam esse posse; in Naturalibus autem non posse. Qua distinctione cum Sole ipso, dubitationis hujus nebulae, facilimè dispelli possunt, hoc simul accuratè obseruato, ne cum de causis particularibus hæc intellecta uelimus, supponat quis & substituatur causas Universales; Neque confundat causas per se, cum iis, quæ per accidens fiunt, præsertim quando nos hæc agentes de causis per se, illas per accidens planè abire jubeamus; Neque etiam commisceat causas diuersarum materierum cum illis, quæ capaces sunt materiae ejusdem eodemque modo dispositæ, cum sermo nobis sit de his, non de illis.

Hæc † sic prælibatis, accessum facimus ad ipsam argumentorum enumerationem, & primo quidem pro Negatiua quæstionis parte sequentia adducimus argumenta. I. Si Idem, quatenus Idem, semper facit idem, Idem non potest esse causa efficiens contrariorum. Sed Verum prius. E. & posterius. Aristoteles enim 2. d. gen. & cor. c. 10. inquit: τὸ αὐτὸ καὶ ὁμοῦτως ἔχει ἀεὶ, τὸ αὐτὸ πῶς καὶ πῶς. Et l. 4. Meteor. c. 6. τὸ αὐτὸ τῶ αὐτῶ κατὰ τ' αὐτὸ ἐκ ὁσίων ἀπὸ τοῦ ἐναντίου. II. Philosophus docet, eo modo Idem contrariorum causam esse posse, quo nautis gubernator ejus & salutis & submersionis causa est: Præsentia quidem salutis,

salutis, absentia v. submersionis. At esse causam salutis per presentiam, & submersionis per absentiam, non est Idem esse contrariorum, sed contraria esse causas contrariorum: Non minus enim contraria sunt absentia & presentia gubernatoris, quam salus & interitus navis. E. Aristot. hic potius docet Idem non esse contrariorum causam, quam esse. III. Si contrariorum, secundum vulgare illud Naturalium & Moraliu disciplinaru pronuntiatum, sunt contraria causa, Idem nequaquam causa efficiens contrariorum esse potest. Sed verum prius. E. Si enim affirmatio est causa affirmationis, etiam negatio erit causa negationis.

5 **Contra** † Affirmativam qui praferunt, defendunt eam. I. a causis liberis: Harum enim, dicunt, talis est conditio, ut manifeste agant contraria: & propterea etiam excogitata est distinctio illa libertatis in libertatem contrarietatis & contradictionis: Contrarietatis ad agendum bene vel male; Contradictionis ad agendum & non agendum. II. ab ipsis Artibus: Artes enim contraria efficere inductione patet: Oratoria siquidem aequè dissuadere atq; suadere potest; Et Medicina aequè refrigerare aegrotum medicamentis atq; calefacere. III. a causis naturalibus per Inductionem exemplorum: Sol enim effecta contraria producit in his Inferioribus, Dulcedinem lactis, amaritudinem absinthij: Calorem aestivum in hominibus, & frigus in puteis: Quaedam etiam mollia facit, ut ceram, quaedam dura, ut lutum. Sic Ignis quoq; in re eadem efficit contraria, dum videlicet mel concretum initio liquefacit, quod coquendo deinde indurat.

6 **Vt** † tandem mentem nostram in hac opinionum collatione explicemus, nos probabiliorē judicamus affirmativam, quae tum Philosophi testimonio, tum varijs supra commemoratis exemplis munita & probata est, additis insuper hisce conclusionibus: I. Idem Ens, quatenus eodem modo se habet, tam interne ad seipsum, quam externe ad alia, semper facere idem: Ideoq; contrariorum causam esse non posse. II. Idem Ens, quatenus diverso modo se habet, vel interne ad seipsum, vel externe ad alia, non semper facere Idem, Ideoq; posse esse contrariorum causam.

7 **Ad** † prioris opinionis argumentum I. & quidem ad ejus probationem Re, illa pronuntiata, si dextre referantur, non contra nos, sed pro nobis facere. Aristot. enim non solum docere vult, Idem in quantum idem, aut secundum idem, semper facere idem, sed expressissimis verbis inquit, Idem eodem modo semper habens, idem facere natum esse, quod sane, si modo quis recte perpendat, plus etiam est, nec tantum in proximis agentibus locum tenet, sed in remotis etiam. Nam si agens eodem modo se habet & in se & ad alia,

alia, nulla assignari potest ratio in naturalibus, cur aliter atq; aliter agat. Verum nos non dicimus, Idem eodem modo & in se & ad alia semper habens, contrariorum causam naturaliter esse posse, sed idem agens proximum variato modo agendi, per se, aut per accidens, aut variata materia, contraria facere posse.

Ad II. & Neg. illum locum nobis obstare, nisi quod gubernator navis naturaliter quidem causa sit per accidens submersionis navis, si e navis, quam servabat, discedat; (per se enim aut ventorum vi, aut alia forsau ratione aqua submergitur) At moraliter causa est per se, si illam & potuit & debuit servare.

Ad III. quod regula illa procedat in causis formalibus: contrarias enim formas contraria effecta formalia & contraria proprietates comitantur: Ut virtutem virtute praeditum esse, laudandumq;: Vitium autem vitiosum & reprehendendum.

QUESTIO IV.

Num causa & effectus sint simul?

Cum † ex praemissa questione constet, quomodo idem possit contrariorum causa esse, ordine nunc quaeritur, Num causa & effectus simul sint. Breviter ergo, qualem causa cum effectus proportionem & similitudinem habeat, demonstratum dabimus. Illud autem probe observandum, quod causa & effectus comparatio duplex sit: vel secundum naturam, vel secundum tempus. Et primo quidem collatione illa secundum naturam causa & effectus considerari potest vel quoad res ipsas secundum se; vel quoad relationes causae & effectus; vel causa quidem quoad rationem causae; effectus vero quoad rationem causati, ut causatum est.

Ex † quibus colligimus: si causa & effectus primo considerationis modo sumantur; causa interdum prior est natura, interdum posterior, interdum etiam simul natura, ut: Materia in generabilibus & corruptibilibus est natura prior forma & composito, & est rursus posterior natura: Prior est, quia praecedit utrumq; existendi consequentia; Posterior, quia praeceditur ab illis perfectione; causa vero univoca est simul natura cum suo effectus, quia habet eandem cum illo perfectionem. Si vero sumantur secundo modo, extra omnem dubitationis aleam semper simul natura sunt, cum formaliter sint correlativa. Quod si tertio assumantur modo, semper causa est prior natura & effectus posterior: Effectus enim, ut effectus est, semper pendet ex causa.

B

Quo-

3 Quoad † Comparisonem verò secundum tempus dicimus: Causam & effectum, si sumantur pro rebus ipsis absolute, non necessario esse simul tempore, quia sic causa existente, effectus nondum existere potest, ut oratore existente, oratio non existere potest, vel existere effectus potest, causa tamen non existente, ut pharmacum adhuc existere potest, pharmaco- pœo non amplius existente. Atq; hanc Philosophi mentem fuisse certissi- mum est, ubi dixit, causam & effectum, si sumantur in potentia, simul esse & non esse: Intellexit enim nominibus causæ in potentia, & effectus in potentia res ipsas, quibus accidit esse actu: Si vero ut correlativa, vel formaliter ut causa & effectus sunt, accipiantur, omnino asserimus, illa semper simul tempore esse.

4 Quibus † omnibus ita constitutis, concludimus nos, quod actu posi- ta causa efficiente proxima, non partiali sed totali, simpliciter necessarium sit, actu poni ipsum effectum, idq; probamus I. quia inter causam efficien- tem proximam actu positam & ejus effectum essentialis datur connexio, ita ut necesse sit illam cum hoc, & hoc cum illa simul existere. II. quia simpliciter impossibile est, ut causa efficiens proxima actu ponatur, hoc est, actum causandi exerceat & tamen nullum effectum causetur. Posi- ta ergo causa actu, effectum etiam actu poni debet. III. Omne relatum est simul cum suo correlato, eoz actu posito, semper quoq; actu ponitur ipsum effectum.

QUÆSTIO V.

An animalia, quæ vi astrorum ex putri ma-
teria gignuntur, sint eiusdem speciei cum aliis e-
iusdem nominis, quæ semine procreentur?

1 Cum † animalium quædam solo semine fiant, ut præstantiora & perfectiora: quædam sola putredine, ut vermes: quædam & semine & putredine, ut mures & ranæ. Piccol. d. ortis ex putri c. 10, opere præ- tium facturos nos arbitramur considerationi illud subicere, An orta ex pu- tri materia ejusdem judicari debeant speciei cum ortis ex semine.

2 Duæ † autem hic sese nobis discrepantes offerunt opiniones, undiquaq; autoritatibus & rationibus communitæ. Quæ Negantem tuetur partem sequentia adducit argumenta. I. Omnes effectus determinati necessariam habent

habent connexionem cum suis causis, alias vaga & errabunda eorum
esset cognitio, neq; vera de illis haberetur demonstratio. At si ydem
specie mures indiscriminatim possent ex putri, & ex semine generari.
non necessario cum suis causis cohererent. E. animalia hisce duobus
modis genita specie non conveniunt. II. Si ejusdem speciei animalia
ex semine & ex putredine gigni possent, Natura fuisset redundans: frustra
enim parasset marem & foeminam pro conservatione speciei, cum sine
ea distinctione servari valeat. At Natura redundans esse non potest.
E. III. Specifica formarum convenientia arguitur ex operatione:
quæ enim eandem formam habent, functiones quoq; easdem edunt: Sed
animalia, quæ sine semine & quæ ex semine oriuntur, non similes edunt
functiones. & illorum formæ specie non conveniunt. Minor probatur:
Nam ex semine orta habent vim procreandi sibi simile, qua vicarent ea,
quæ sine semine generantur, animalia.

Verisimilior t nobis hac vice, relietâ negatiuâ, est Affirmatiua,
quam unico hoc confirmamus argumento: Si in animalibus, ex semine
& absq; hoc ortis, omnia specificæ unitatis apparent indicia, specie utiq;
inter se non distinguuntur. At prius verum est. E. & posterius. Ante-
cedens probatur: Utraq; enim animalia eandem habent membrorum com-
positionem, figuram, colorem, magnitudinem: In utrisq; idem deprehen-
ditur motus, idem etiam ingenium & inclinatio. Quidni etiam eandem
habebunt formam & naturam, cum accidentia hac in cognitionem substan-
tiæ nos deducant?

Neq; t quod adeò aduersa pars urget, omnino duâque sibi
simile generandi destituuntur ea, quæ sponte generantur animalia: Quam-
vis enim & ipsa non à simili fiant, utpote cum careant causa principali &
propria, à qua per se primò fiunt, qua de causa Arist. 2. d. an. 34. inquit, illa
non fieri à simili specie, sed solum à simili facultate & virtute: (fiunt enim
à cælo per lumen & motum ejus, ut à causa communi: proximè v. à de-
finita mensura caloris existentis in spiritu putris materia, proportionem re-
spondente calori & spiritibus seminis) vim tamen sibi simile generandi nō o-
mnino illis denegandâ censemus, quia in navibus recens ædificatis, in quibus
antea mures non erant, breui temporis intervallo, magnus murium pro-
ventus apparet, quod sanè non levi argumento aliter esse potest, illos ipsos
ab ijs, qui ex putri prodierant materia, natos fuisse. Et certè licet ex semi-
ne orta non semper generent alia sibi similia, haut propterea arbitrandum
erit, ea differe ab alijs specie: fecunditas namq; ejusmodi ex defectu aliquo
accidentario provenire potest.

B 2

Pate-

Patefacta † ergo sic sententia probabiliore, facile nobis erit ad veras
 rationes diluere, & quidem ad I. primæ opinionis R. illam limitando: Dan-
 tur enim effectus nonnulli, qui à causis specie differentiis provenire que-
 unt, cum quibus ita necessariam connexionem habent, ut secundum suam
 speciem, licet neutram determinate, alterutrâ tamen earû necessario possint,
 nec extra earû causalitatē vagentur: Quod vel sufficit, ut eiusmodi effectus
 determinatas ac necessarias causas habere possint. Ad II. Negando: Quemad-
 modum enim nō frustraneū est vel supervacaneū, ignē generari nunc ab alio igni,
 nunc attritu lapidū, aliâs etiâ coitu radiorū solarū; Ita nec prædictorū anima-
 liū uterq; ortus supervacaneus erit: Conducit enim 1. perfectioni. Univerſi,
 secundū extensionē, quatenus ad plura extenditur eorū vita, non autē secundū
 gradum & intensiōem. Piccol. l. d. ortis ex putri. 2. facit ad mundi pulchri-
 tudinem & ornatum. 3. Conn. 2. d. cælo c. 3. q. 7. ideo hoc à natura factum
 contendunt, ut imperfecta animalia in extremam sui generis sortem desi-
 nentia tam variè nascerentur, quo eorum ignobilitas numero recompensa-
 retur. Ad III. & quidem ad minoris probationem R. concedendo aliqua,
 quæ ab agēte æquivoco & ex putri materia orta sunt, omnino generare sibi
 similia: sed haut facile alicui hinc concludere licet; omnia genita ex putri
 esse infœcunda. Et quamvis nulla sponte orta animalia sibi similia genera-
 re possent, non tamen unico hoc specificæ differentiæ ipsis deneganda esset, cum
 cætera etiam munia, præter similitudinem generationem, aliâs & evidentiora spe-
 cificæ unitatis signa in illis conspicua appareant.

QVÆSTIO VI.

An ex siderum observatione certi quid præ-
 nunciare possint Astrologi?

I. Magnas † semper inter Astronomos & Theologos horum temporum
 de prædictionibus astrologicis extitisse disceptationes, apud omnes in con-
 fesso esse ducimus: quas singulas & universas hic recensere & examina-
 re velle, nimia vetat prolixitas: Brevitatis tamen ergo ad duo in ὑπερβολῆ
 & ἐνδεΐῃ peccantia contrahi possunt extrema: Et quidem qui ad
 ὑπερβολῆν deflectunt, nimis liberali manu omnia concedunt Astro-
 logis, eorumq; canones pro prætorijs habent edictis; At in ἐνδεΐῃ defici-
 entes, præſagia eorum non pluris quàm fabulas & nenas æstimant, atq;
 Artem & rem ipsam ex artificis vitio ponderant.

Verum

Verum ꝑ nos relictis erroneis opinionibus, media, tutissima, incede- 2
mus via, quidq; in tanta opinionum varietate statuendum sit, conclusionibus
aliquot expeditum dabimus. Sit concl: I. Siderum, Planetarumq; omnium
ortus, occasus, aspectus & Eclipses aliq; id genus ad cœli statum pertinen-
tia possunt sideralis scientiæ periti certò multoq; ante prænoscere. Hæc ete-
nim omnia cum tantum dependant à cœlestium sphaerarum motibus, quos
indeflexo & æquabili ordine semper fieri experientia uberrimè tot jam se-
culis comprobavit; quid quæso prohibebit, quo minus Astrologi ejusmodi
motuum leges comprehensas, sicq; certam de illis ipsis cognitionem habere
possint?

II. ꝑ Morbos, frigora, tempestates, Sterilitatem, pluvias, siccitatem, 3
terræ motus, aliq; ejusmodi effecta naturalia, quæ infra Lunam è cœlesti-
um corporum defluxu magna ex parte deveniunt; admodum probabiliter,
non tamen certò Astrologi enunciare possunt. Astrologi siquidem quoniam
astrorū aut constellationum, certo hujus anni tempore dominantium, vi-
res optime cognitatas & exploratas habeant; hinc observatione diligenti,
quæ in hoc rerum genere oritura videantur, conjectari possunt. Quod au-
tem non certò hæc ab ipsis enunciari possint; patet. 1. quia valdè difficile
est, omnium siderum, à quibus ejusmodi eventa inhiberi queunt, vim &
concursum ad amissim perspectum habere. 2. quia multa è cœlestibus non-
dum satis comperta habent Astrologi. 3. quia ad hujus cognitionem non so-
la cœli inspectio, sed inferioris etiam mundi natura, diversi terrarum situs,
innata cuiq; regioni temperies & alia requiruntur. 4. quia experientia ipso-
rum judicium longe multū aberasse testatur, ac multo aliter, quam prædixe-
rant, evenisse. Judicium ergo Astrologorum de effectis his naturalibus mini-
mè certum & infallibile esse potest.

III. ꝑ Actiones, quæ ex voluntate humana pendent, Item successus con- 4
tingentes, aut casus fortuitos, ut nugaliam illa de alea & alveolo, quis luden-
tium vincere possit &c. Astrologi prænoscere non possunt. Actiones enim libe-
ri arbitrij quod attinet, de illis sciendū, quod quemadmodū corpora cœlestia;
ut materialia, in Intellectum & voluntatem, ut immaterialia, directo aut ne-
cessario motu non influunt; (Alioquin actiones nostra non libera essent;
nulla justitia: Injustitia argueretur Deus, quosdam bonis cumulans, quos-
dam cruce affligens: Gubernatio & providentia Dei tolleretur: Frustra-
nea & inania essent omnis ratiocinatio, propositum, deliberatio, fides &
salvatoris nostri adventus: omneq; meritum tolleretur.) Ita Astrologi ne-
queunt ex cœlestium corporum intuitu hujusmodi actiones & harum suc-
cessus prævidere.

Et ꝑfecto stultitia præsumtuosa in Astrologis nonnullis jure reprehendenda, his ꝑ potius quam Arti ipsi imputanda, velle nimirum hominibus futura prædicere necessario & certis temporibus infallibiliter evenitura, quod tamen omnino impossibile est, nisi rei prædictæ proximæ adferantur causæ: Cum autem astra in hujusmodi affectionibus causandis causæ sint remotissimæ, frustra illud intendunt Astrologi: Vt enim se res habet ad esse, ita etiam se habet ad cognitionem, h. est, propter quas causas unaquæ res fit & est, per eas etiam cognosci debet: Vis autem cœli universalis & indeterminata ad quosvis effectus determinatur per causas particulares. Absit igitur fatalis ut in his statuatur necessitas. Futura itaq; tantum probabiliter prædicunt Astrologi, & omnia quæ prædicuntur, contingentem habent veritatem. Astra inclinare; non necessitare, dixerunt veteres. Forsan de vitæ termino ex astris certi esse possumus? Error est, Si eò curiositatis prolabantur Astrologi, dicimus cum Cassiodoro in Psal: cæci sunt & abominandi, qui se existimant prævidere, quæ Creator nobis utiliter decrevit abscondere.

Q U Æ S T I O VII.

An sonus semper realiter attingat aures?

In ꝑ questionis affirmativam descendere videtur Philosophus l. 2. d. an. t. 8. ubi inquit: Vim sonandi habet, quod habet vim impellendi æerem una continuatione usꝑ ad auditum. Et Avicenna l. 6. c. d. auditum, sonum realiter in toto medio usꝑ ad organum auditus statuens: Hancꝑ suam opinionem rationibus insuper muniunt: Nam I. non alia de causâ videtur sonus ejusꝑ species successione temporis ad aures prolabi, nisi quia moto æere deferuntur. II. quia vento in aliam partem flante, minus audiuntur soni, quia impeditur aut retardatur motus æeris ad nos.

Contra ꝑ v. Thomas & Cajetanus, Toletus item l. 2. d. an. q. 22. & Dd. Con. 2. d. an. c. 8. q. 2. statuunt, soni realem multiplicationem non necessario ad auditum usꝑ requiri, sed usꝑ ad certum spatium, & ad summum, usꝑ ad internum æerem. I. quia pluribus loquentibus conturbarentur soni, & nihil distinctè audiretur. II. quia pisces audiunt per aquam, aqua ipsa immota manente. Non ergo ipsum sonum percipiunt pisces, sed ejus species. III. Sub sono perveniunt etiam ad aures magnitudo & distantia; At hæc non potest realiter multiplicari.

Verum

Verum † enimvero, ut quæstio hæc tanto decidatur rectius, veram
sententiam cum Aegidio Romano l. 2. d. an. c. 8. art. 3. ita exponimus: Sonus
aliquando multiplicatur secundum esse Intentionale, quando scilicet magnū
est intervallum inter auditum & corpus sonans, aut quando interjectum
est corpus ubiq; in quo sonus secundum esse reale existere non potest, ut sunt
corpora solida, aqua & similia. Priorem partem ita probat Aegidius: Quo-
niam, inquit, tam diu sonus secundum esse reale deferretur per aërem, quamdiu
aër resiliens movetur: sed non est verisimile, aërem resilientem ex ictu
corporis sonantis moveri per longum spatium. E. sonus per illud spatium de-
ferretur secundum esse intentionale tantum. Posterior v. pars ita ostenditur,
quod sonus secundum esse reale in solo aëre subiectetur, unde solus aër pot-
est sonum secundum esse reale deferre, & per consequens sonantia corpora
deferunt sonum ad auditum non secundum esse reale, sed Intentionale. Ex
his ergo patet (idem Aegidius pergit) duas dari sphaeras, per quas sonus
multiplicatur, alteram per quam multiplicatur realiter; alteram vero
per quam multiplicatur solum intentionaliter: Quo fit, ut si auditus existit
intra sphaeram realem, per quam sonus multiplicatur, sonus ipse usq; ad
auditum habeat esse reale; si vero existit extra talem sphaeram, sonus in
medio partim habebit esse reale, partim intentionale.

His † sic explicatis, porro quæritur, An, quando sonus usq; ad auditū ha- 4
bet esse reale, ipsum auditū realiter ingrediatur, & ab illo percipiatur. Ad
quam quæstionem etiam respondet Aegidius Romanus sequentibus verbis,
dum inquit: Si ve sonus usq; ad auditum habeat solum esse reale, si ve par-
tim reale, partim Intentionale: tamen in sensorio auditus habet solum esse
intentionale, sensus siquidem recipit formas sine materia, id est, secundum
esse intentionale; ut docet Aristoteles l. 2. d. an. c. ult.

Locus † ergo Aristotelis supra allegatus l. 2. d. an. t. 81. qui est, s
vim sonandi habet, quod habet vim impellendi aërem una continuatione
usq; ad auditum, non loquitur de reali, sed de intentionali soni multiplica-
tione. Ad reliqua argumenta respondemus. Ad I. dicimus posse
dari aliam causam, propter quam sonus & species audibilis non in in-
stanti, sed tempore deferatur ad auditum: Nempe quia tam sonus, quam
ejus species magis sunt materiales, quam imagines colorum, quæ in
momento ad oculos traiciuntur. Ad II. B. Dd. Con. ventum in adversam
partem flantem tum sonum ejusq; species aliò de tehere, delato aëre, tum et-
iam obsistere motui, quo ad aliquam distantiam aër vicinus corporibus
sonantibus agitare solet, atq; ita sonorum perceptioni non parum in-
commodare. Nos vero respondemus, id evenire propter eandem
rationem

rationem, ob quam successiue & in tempore q. moventur, & ad auditum perferuntur, quia magis materiales sunt, quam species colorum. Unde etiam cum aere, in quo sunt, agitari & moveri possunt.

Q U Æ S T I O VII.

Quid sit Feritas?

1 Vitium † virtuti Heroicæ oppositum nominatur Feritas seu bestialitas, Græcè *ἄγριότης*, non quod ferarum sit propria, sed ideo, quia tunc homo omni sensu humano deposito, ferarum instar, solo sensuum affectu regitur. Hinc Arist. 7. Pol. c. 1. Eos, inquit, homines, qui vitijs alios antecedunt, turpi & infami nomine *ἄγριον* & notamus. Et sane, quemadmodum virtus Heroica moralium virtutum est splendor, supra humanam conditionem nos elevans; Ita feritas est perversio humanæ appetitionis infra hominis conditionem nos deprimens, Piccol. gr. 6. c. 13. Hinc ergo Feritatem definimus, seu describimus potius cum Piccol. l. alleg. humanæ appetitionis in ferinam commutationem, omnem rationis usum excludentem, ex per- versione veri amoris ortam, per quam hoc vitio laborans infra hominis conditionem deprimitur.

2 Quamvis † a feritas in singulis sit virtutibus; puta feritas opposita temperantiæ, feritas opposita liberalitati, mansuetudini & c. ut nempe tot penè sint species feritatis, quot sint species virtutis; illæ tamen omnes ad tres hæc principales ac cæteris esseratiores feritatis formas, videlicet Prophanitatem, Immanitatem, & tyrannicam Impietatem, non incommodè revocari poterunt, ex quibus Prophanitas nos à Dijs avocatur, Immanitas caritate erga proximum nos exiit, Tyrannis pietatem erga patriam pervertit.

3 Varijs † de causis oriri feritas potest: Vel enim provenit ex morbo muliebri, qui dicitur *Pica*: Vel ex naturali quadam aut à prima natiuitate orta assuetudine, quæ vel communis est universæ nationi, populis quippe illis, qui nudi in sylvis errant; vel propria singulorum, ut qui pilos sibi evellunt, ungues erodunt, atq; adeo proprium corpus suum horribiliter tractant. Vel etiam ex depravatione naturæ, quales sunt illi homines, qui revera barbari & feri sunt, & qui rationis usu sunt destituti, soloq; sensuum affectu, eoz depravato ducuntur: Vel tandem datur feritas ex magnitudine & ex superantia vitij cræ, à vitio tamen specie non distincta. Qui omnes feritatis modi ad duo redigi possunt capita: Quorum alterum omnem

omnem rationis usum excludit; alterum vero, etsi penitus eum non excludat, maxime tamen pervertit.

QUÆSTIO IX.

An feritas sit deterior vitio morali?

Nos ꝑ pro Negativa quæstionis parte stantes, eam sic probatam dæmus: I. Vitium propria culpa acquisitum deterius est vitio naturali: Hoc enim facilius veniam, illud vero pœnam meretur, quia culpa præeligentis est: dum autem excluditur ratio, excluditur præelectio & origo culpæ, at improbitatis, Piccol. gr. 6. c. 14. At feritas per naturam inesse videtur, cum non corruptio, sed privatio sit usus rationis: Vitium v. morale per crebros habitus vitiosos contrahitur. E. vitium deterius est feritate. II. Illud vitium quod cum ratione est, deterius est eo, quod non est cum ratione. Iam autem vitium humanum & morale videtur esse cum ratione; feritas vero naturalis sine ratione: Hinc improbi, quia adhuc ratione sunt præditi, ideo minus sunt excusabiles: Et improbi sunt insidiosi, & possunt excogitare varios modos occultè nocendi; Feroces autem seu furiosi, quia ratione & mentis usu destituti, non amplius callidos modos & rationes excogitare valent, quibus alijs noceant, sed cæco quodam impetu in alios feruntur, ac sæpe sibi ipsis potius exitium asserunt, quàm alijs. Vitium ergo deterius est feritate. III. Confirmat nostram assertionem ipse etiam Philos. 7. Eth. c. 6. ubi scribit, feritatem minus malum esse, quam vitium, sed terribilius: Non enim corruptum est id, quod est optimum, ut in homine, sed non habet: Perinde igitur est, ac si quis inanimatum cum animato conferat, utrum sit peius: Minus enim pernicioza est pra vitas ejus, quod principium non habet. Sed mens est principium.

Obijcere ꝑ tamen hic aliqui solent illud: Quo quid præstantiori bono opponitur, eò deterius est, vi regulæ illius topicæ. Atqui feritas opponitur virtuti heroicæ, quæ præstantior est virtute civili, cui opponitur vitium. Feritas ergo vitio deterior. Deinde Arist. 7. Eth. c. 1. pro hoc ipso confirmando adducunt dicentem, eos homines, qui vitio reliquos antecellunt, turpi & infami nomine feros appellamus.

Verum ꝑ R. Distinguendo. I. inter duplicem feritatem: Alia enim feritas ex morbo, assuetudine aut depravatione naturæ proficiscitur, usumque rationis penitus excludit: Alia v. ex frequenti actionum vitiosarum habitu comparata, usum rationis duntaxat pervertit. Prior feritatis species, Naturalis scilicet & morbosa, etsi sit horribilior, minus tamè malum est, quàm vitium

vitium morale : Posterior vero, quæ est eminentia vitij moralis, quæ
 usum rationis non excludit, tanto est deterior vitio, quanto altiori gradu
 illud superat. (Nabuchdonosoris immanitatem ad priorem speciem referen-
 dam censemus) II. inter duplicem oppositionem : Sumitur enim hæc vel
 pro privatione, vel pro natura contraria maxime distante : Feritas ex-
 cludens usum rationis opponitur per privationem : Vitium vero ut vere
 contrarium. Iam igitur dicimus, regulam illam topicam verã esse de propr. &
 contrarijs oppositionibus, non vero de ijs, quæ per privationem & nega-
 tionem sibi opponuntur. Ad confirmationem respondemus exsuperantiam
 vitij sumi vel ratione conditionis nature, vel ratione depravationis : recte
 rationis priori modo feritatem vitio non deteriorem, posteriori vero omnino
 deteriorem pronunciamus.

Q U Æ S T I O X.

An dari possint rationes, ob quas præ vita mors sit eligenda homini.


1. Pro† hujus tandem quæstionis decisione sequentia notanda jube-
 mus.
2. I. † Considerari mortem vel Theologicè, vel Moraliter, vel Na-
 turaliter.
3. II. † Mors, Theologica acceptione, homini Christiano semper eligen-
 da est præ vita: Tria namq; ob quæ mors nonnunquam præeligenda est, pro-
 ponit Piccol. gr. 6. c. 19. 1. Ne virtus vel vita ante honestè acta scædetur.
 2. Ut in memoria superstitem celebres seruemur, & per ora eorum cir-
 cumferamur. 4. ut vitam alteram potiorem consequamur: Recta autem ra-
 tio postremum, alijs neglectis, solùm eligit & expetit. Homo Christianus e-
 nim duobus bonis propositis, semper eligit id, quod majus videtur: Iam autè
 vita hæc caduca comparata cum illa (secundum Euripidem) mors est, &
 corpus hoc (ex Plotini sententia) est animi sepultura, proindeq; vita mi-
 nus videtur bonum, quam mors, quæ est aditus ad vitam, & cujus ex-
 tremus heres melioris vitæ natalis futurus est: Vita enim hæc non solum
 brevis, sed & innumeris circum septa miserijs.
4. III. † Mors Moraliter considerata, nonnunquam eligenda est &
 præferenda vita, observatis tamen hisce requisitis, ut 1. Mortem
 suscipiamus ob honestam causam. 2. ut ex ea laudem reportare pos-
 simus. 3. Ut cedat in publicam utilitatem. 4. si secundum virtu-
 tem

sem vita amplius peragi nequeat : Vita enim absq; virtute non vita
sed mors est. Ex quibus colligere est, Mortem non esse praeligendam ob
ea, quae attinent ad corporis voluptates, vel ad bona naturæ & fortunæ.

IV. † Naturaliter aut appetitu naturali mors nunquam expe-
ditur eligiturve; tum, quia vita bonum, mors malum; appetitus autem nun-
quam in malum fertur quatenus malum; sed semper in bonum: tum,
quia vita est conservativum corporis viventis, Mors ve-
ro eius destructivum: nullum autem vivens sui
destructionem appetit.

F I N I S.







ò illor
radicu
numar
ni no
m V.
e non
Illud
mer. ca
Lufita
um sui
varia
arumq
edunt
lultriu
is sub
ur: ne
iones
Tente
odio pl
sexcent
m for
minant
therus c
or mor
cidere
imo pe
neq;
De ob
veluti
hrimis
barath
t: Fel
ium ar
lebere
neralis
andalo
efiastice
stum m
mines
ranfire
cc. ac tr
um con
ut cau
ianis d
alorum



59

D. O. M. A.
DISPUTATIO VII.
Centuriæ Quintæ

QUÆSTIONUM
ILLUSTRIMUM

Philosophicarum,
In Inchyæ VVittebergensi Academia
Publicè
Proposita
PRÆSIDE
M. Jacobo Martini
Logices Profefs. Publ.
RESPONDENTE
Andrea Gözio,
VVitebergensi
Ad diem 25. Iunij in auditorio Collegij
veteris.

WITEBERGÆ,
Typis Martini Henckelij, Impensis Pauli
Helvigi Anno M. DC. VIII.

